

P R A E F A T I O

xix

lectos, et immortalitatem adeptos esse, cum delectatione quadam omnium lectioni commendarentur: eos autem, qui nullam orationis commendationem haberent, ab unius tantum sectae hominibus lectos esse, et breui tempore in contemptum venisse, omninoque cum auctoribus paullatim interiisse. Ciceronis quidem aetate, ut in Tusculana secunda c. 3. tradit, Plato reliquique Socratici, et deinceps ii, qui ab his profecti erant, legabantur ab omnibus, etiam iis, qui nec eorum placita probarent, nec Philosophiam studiose conjectarentur: Epicurum autem, Metrodorum, et iis similes, nemo fere, praeter suos, in manus sumebat. Neque quisquam nescit, quid philosophorum eorum libris acciderit, qui superioribus seculis parum eleganter scripsere.

Sed bene esset, si ea res libris tantum, et auctoribus obesseret, non ipsi eorum argumento noceret. Nam ex eo, credo, quibusdam, in primis ingeniosis, ex iis, qui humiorum literarum elegantia et suavitate ducentur, vsu venire, ut a Philosophia videantur abhorrere, quia inciderunt in libros incultos quosdām et horridos, de rebus difficultibus et reconditis, male horrideque scriptos. Quod si enim per se Philosophiae odio tennentur, quae est quorundam opinio, quomodo fit, ut iidem Ciceronis ΦιλοσοΦίμενα, Senecam, aliosque veteres eius generis libros, libenter legant. Quare, quemadmodum,